

# Codice Diplomatico Longobardo I, 11

In Dei nomine. regnante uiro excellentissimo domno nostro Chuniperth gloriosissimus rex, anno regni eius decimo sexto, die marte uigesimo quarto iunii, indicione sexsta. Oraculo Sancti Iohannis Batiste a me fundato isto burgo de Sancto Michele ciuitatis Cremone prope circum. Rachis beatissimus diaconus Sancte Marie matris filius bone memorie Alachi glorioso dux presens presentibus dixi: de spem uite eterne abet qui in uenerabilibus locis aliquid de suis facultatibus contulerit terena, ut eterna accipiat uita. Ideoque ego qui supra Rachis diaconus per presentem cartulam de substantia facultatis mee hordinare disposui. iccirco statuo atque hordino ut a die mortis mee idem oraculum Beati Iohannis Battiste precursor Domini a me fundato ad circum, item curte mea que abere uideor prope dicto oraculo beati precursoris, et omnem substantiam meam quam abere uisus fuerim in ipso die mortis mee, tam in territorio ciuitatis Bergomensis et in fundo Cassano ad Abda et in loco Ualerie de Aucia ut in quoquis alio loco et fundo; que omnia descripta sunt in carta a me facta per manus beatissimi Ruperti diaconi de Sancta Maria matre; hec omnia, sicut superius nominata sunt, et cetera que in die mortis mee abere uisus fuerim, omnia et in omnibus ueniant in potestate et ius beatissimorum presbiteri et diaconi de eadem Sancta Maria Maiore de ciuitate ista Cremona, cuius licet indignus diaconus inuenior; ea condicione et pacto, ut in eodem oraculo Sancti Christi precursoris per studium dicti beatissimi presbiteri et diaconi fratres mei sint luminaria, et in die nativitatis eiusdem beati Christi precursoris dicti fratres mei ibi stationem faciant; item cum pacto, ut onni anno in die presenti obitus mei in eodem oraculo faciant agenda pro refrigerio anime mee et parentum meorum Alachi glorioso dux et Brunichilde honesta femina mater mea. Et ut nec mihi plus liceat nolle per tempora futura quod nunc uolui, tibi beatissimo Ruperto diacono fratri meo hanc paginam hordinationis mee scribere rogaui. Acta ista ciuitate Cremona, in curte ducis ad Sanctum Michele de suburbe. Adelgisus, Urso, Ado, Leo, Petrus, Andreas, Lanthelmus testes. + Rupertus diaconus de ordine Sancte Marie matris ex rogatu beatissimi Rachis diaconi de eodem ordine scripsi et firmaui. + Leo diaconus sancte Cremonensis ecclesie exemplaui, litera plus minus.